

# RITFRIDVS VEL RIX-

FRIDVS VII. VLTRAIECTINÆ SE-  
DIS EPISCOPVS SVB CARO-  
Io Magno.

*Epistola ad S. Ludgerum.*

**V**ero sciens, quod zelum legis Dei habes;  
& excellentia diuinarum scripturarum in-  
tua anima viget & floret.

JOSEPH ALCVINI DISCIPVLVS.

**L**vdger, amate Deo, Christi te gratiasaluet.  
Viue tuæ gentis Fresonum clara columna.  
Presbyter occiduis laudabilis orbis in oris.  
Doctus in eloquio, prudens, & mente profundus.  
Ipse gradum meritis ornas, & moribus almis.

## DITMARVS CHRON.

## Lib. IV.

Luidigerus primus Mimingerdeuordensis Ecclesiæ Pastor à Carolo Cæsare effectus est; & optimè ordinata suimet parochia, & loco Wirdino ex propriis constructo impensis, anno Domini DCCCVIII. præmium cæleste recepit.

IOANNES TRITHEMIUS  
de viris illust. ordinis S. Benedicti lib. III. cxcvi. &  
lib. IV. c. CLXXXVII.

Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, sub  
E 3 Archie-

Archiepiscopo Coloniensi Monachus S. Benedicti  
Monasterij Beneuentani Vir sanctus & Deo dilectus:  
tam in vita quam post mortem infinitis claruit miracu-  
lis. Eius corpus in cænobio Werdenensi requiescit.  
Claruit anno Domini DCCXC. & DCCLXXX. Eius fe-  
stum agitur vii. Kalend. Aprilis. Atque hinc ad illam  
diem Martyrologia.

R O M A N V M.

S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, qui Saxoni-  
bus Euangelium prædicauit.

V S V A R D I.

In Werdena depositio S. Ludgeri Episcopi & Cō-  
fessoris, qui fuit Episcopus primus Monasteriensis,  
tempore Caroli M. Imp.

A L B E R T V S K R A N T Z.

Metropolis lib. i. cap. v.

Ludgerum natione Frisium fratrem Hildegrini,  
Halberstadiensis Episcopi, pro sanctitate vitæ, & cla-  
ritate doctrinæ, institui iussit rex (M. Carolus) primū  
Mimingrodensis Ecclesiæ Episcopum. Quippe, re-  
gio Frisiorum prædicatione illustrata D. Bonifacij,  
multos iam tum habebat & misit Christianos: inter  
quos & Ludgerum virum ab utero sanctificatum; qui  
prædicationis sanctæ officio tam ardenter incubuit,  
ut merito Saxonum Apostolus memoraretur & esset.

S A X O N I A E

Lib. ii. cap. xvi.

Peridem tempus fundauit (Carolus) in loco Mi-  
migro-

migrode in media Westphalia Episcopatum alium,  
cui Sanctum præfecit Ludgerum, virum incomparabili deuotione, in Deum & religionem Christianam.

IOANNES MOLANVS  
Indic. SS. Belgij.

S. Ludgerus Frisius Ultraiecti in S. Saluatoris monasterio, sub S. Gregorio successore S. Martyris Bonifacij, multum in litterarum scientia & morum probitate profecit. Primum Dauentriam adiit prædicationis causa; deinde Frisiam; ubi septem ferè annis in doctrinæ studio permansit, delubra destruens, &偶像 auferens. Dies depositionis est xxvi. Martij. Eleuationis xxiv. Aprilis.

INCL